

existens, dominus tandem fiat. Sed benedictus deus, qui non est passus in manus impiorum te pervenire. Hortamur fili ac monemus, ne frangaris animo, ne moestitiae succumbas; etsi dura perpressus es et indigna, nec primus tamen, nec solus fraternas insidias incidisti. Primorum in orbe fratrum alter interfecit alterum; fraternas acies alternaque regna profanis decertata odiis, scribit Stadius, apud Romanos fraterno primi maduerunt sanguine muri. Parricidiis nulla regna caruerunt. Quid antiqua commemoramus? Nostra aetas plena exemplorum est: filius patrem et pater filium in Francia, in Castella, in Aragonia persecutus est; et tu in Baioaria duo (sic) Ludovicos patrem et filium gravissimis inter se odiis decertantes meministi. De communis hostis acervo tuam accepisti portionem. Confide in domino, et bene actum esse tecum existima, quando pejora non incidisti mala. Omnes qui pie et juste vivere volunt, persecutionem patiuntur. Odit mundus quietos principes: raptores, sanguinarios, scelere inquinatos omni et infideles ac sui similes amat. Tu quia mitis es, vellesque quiete et bene vivere, mundo adversaris et mundus adversatur tibi. Sensisti ejus vulnera. Non turbetur animus tuus. Beati, inquit dominus, qui persecutionem propter justitiam patiuntur. Et tu certe beatus eris, si perseveraveris usque in finem justitiae et honesti cultor, et hos praesentes seculi fluctus tamquam maris contempseris. Quod ut efficias hortamur ac requirimus, mansuetudini tuae semper affuturi, quam pius et misericors dominus ut confidimus numquam deseret, sed in anno novo, quem cras initiabimus, novis et melioribus successibus tuos diriget gressus. Dat. Romae apud S. Petrum, pridie Kalendas Januarii, pontificatus nostri anno quinto.

---